



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

Capvt XIV. Moysis, Eliæ, Ioannis Baptistæ, ipsius Christi & Deiparæ
itemq[ue] Apostolorum, ac primitiuorum Christianorum paupertas
voluntaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

CAPVT XIV.

*Moyſis, Elia, Ioannis Baptiſta, ipſius Chri-
ſti & Deipara, itemq; Apoſtolorum, ac pre-
mitiuorum Chriſtianorum paupertas
voluntaria.*

§. I.

*D. Bernardini de diuitijs ac paupertate pa-
rabola.*

S. Ber-
nardin.
t. 3. tract.
de 8. Bea-
titud.
ſerm. 2.

AD commendandam paupertatis
virtutem, narrat S. Bernardinus
Senenſis hanc parabolam. Rex
quidam duas filias habuit, vnā pulcherrimam,
aliā turpiſſimam. Pulchra appetebatur
ab omnibus, & honorabatur: turpem ve-
rò nullus nedum amare, ſed nec videre volebat.
Hac autem amariffimè flebat in conſpectu re-
gis. Cui rex: Noli flere, inquit, dilectiſſima
filia mea: Nam qui in ſponſam duxerit ſora-
rem tuam, nihil ſecum accipiet, niſi pulchri-
tudinem ſuam: qui verò ſponſam acceperit,
dabo illi regnum meum. Rex iſte Deus eſt; fi-
lia ſpecie corporis viſenda, eſt glorioſa ſa-
culi vita, diuitijs, delicijs, potentiâ, & ma-
gnificentia plena; quam omnes ambiunt,
qui in rebus æſtimandis, externū dumtaxat
ſplea-

splendorem aspiciunt, neque aciem oculorum habent, qua penetrent ad interiora mentis ornamenta. Filia verò altera fronte seuera, genis pallida, labris macilentas, toto vultu horrida, est paupertas, plena fame, plena penurijs, plena despectu: sed *omnis gloria eius filia regis ab intus, in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus.* Tot enim virtutes, tot dotes, tot priuilegia secum trahit, vt nihil possit ei comparari, si rectis oculis aspiciatur. Solatium est enim ei, penuriam pati; opes maximas videt esse in egestate, despici honori sibi ducit: & cum nihil habeat, omnia possidet; denique quisquis eam sibi desponsat, ei à Domino promittitur *regnum calorum.* Hæc dos est paupertatis; cum interim viri diuitiarum, qui aureos montes sibi per somnum pollicentur, nihil præter fugitiuum splendorem cum diuitijs suis reportent. Et terribile est, quòd non aliqui saltem excipiantur, ait enim Dauid: *Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt OMNES viri diuitiarum in manibus suis.*

Psal. 44.
14.Matth. 5.
3.Psal. 73.
6.

§. II.

Moyſis, Elia, aliorumq; Prophetarum sancta paupertas.

Y 5

Qua

Phil. 1. 6.
de vita
Moysis.

Hebr. 11.
v. 24.

Qua de causa, quisquis iudicio, con-
silioque magnus fuit, semper magni fecit
paupertatem. Etiam in veteri testamento,
vbi tamen alioqui magni fiebant terrena
possessions, tamen sapientiores diuitijs
non apposuerunt; quin & fuerunt, qui etiam
regibus essent, ob scientiam, virtutem, &
Zelum, & prophetiae donum, metuendi,
tamen indigerent ab alijs sustentari. Moyses,
in summo rerum dominatu, argentum,
& aurum, aut alios thesauros non condidit.
Cuius rei causam Philo hanc reddit: *Nos
opus sibi parauit, quamuis posset habere omnium
rerum copiam: existimans anima pauperis iudicium
esse mirari materiales diuitias, Nimirum,*
vt D. Paulus ait, *Fide Moyses grandis
factus, negauit se esse filium filiae Pharaonis,
magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis
peccati habere incunditatem, maiores diuitias
estimans thesauro Aegyptiorum, in proprium
Christi, aspiciebat enim in remuneratorem;*
vtique alterius vitae, quamuis etiam
aliquam in hac vita receperit. Nam, vt Philo
lo loco citato ait, ipsius per tot prodigia,
aëris, aquae & terrae, & totius vniuersitatis
imperium amplissimum ei datum est. *Hoc
vniuersum principem electum est. Nam quia*

regnum

regnum Egypti dereliquerat, cum esset nepos regis, amore iustitia, visum est omnipotenti regum Gubernatori, frequentioris, meliorisq; gentis regnum ei reponere. Itaque quoniam auaritia renunciauerat, & diuitijs honoratis apud homines, perfectas maximasq; diuitias, pro his, Deus ei reddidit: hoc est, ut tantundem posset, quantum terra & mare, ac flumina elementaq; cetera, & quae ex his sunt condita. Fecit enim eum sua potentia participem, totum mundum ei subdens, tanquam hereditarium. Quod etiam in alijs fecit, qui dum sponte fuerunt pauperes, facti sunt miraculorum patratores. Elias, qui alijs farinam & oleum diuina virtute multiplicauit, ne fame perirent, ipse indiguit ope aliena. Corui quoq; deferebant ei 3 Reg. 17. panem & carnes mane, similiter panem & car. 6. nes vesperi, & bibebat de torrente. Tanta erat illius paupertas, vt nisi ei bestiae, ex mandato Dei, cibum ministrassent, fame illi pereundum fuisset. Alio libro ostendi, id diuina prouidentia saepe factum fuisse, vt bruta animalia homines nutrent. Hoc loco illud tantum monstrare mens est, Eliam sua sponte pauperem fuisse; inuenisset enim utique multos, qui ei etiam lautitias praeparassent, si ipse voluisset. Sed contemptor

anularum,

4. Reg. 4.
3.

3. Reg. 18
4.

aularum, maluit esse silvarum habitator,
vnde & Deus ostendit, quale esset inter Ere-
mitas, & Palatinos discrimen: illos coru-
pascunt, hi coruos. Eliam in hac pauper-
tatis laude imitatus est Elisæus, adeo pau-
per vt frequenter transiens per Sunam,
tamquam pauper à Sunamitide muliere ho-
spitio exciperetur. Centum quoque Pro-
phetæ fame periissent, nisi eos Abdias di-
spensator Achab à furore Iezabel abscon-
ditos pane & aqua sustentasset. O quanta
hæc paupertas? Tot Prophetæ ab alio de-
bent sustentari? & sustentari non turdis, &
ficedulis, sed pane & aqua? Verùm hos, si-
cut & Iobum, existimabit aliquis necessi-
tate, non voluntate pauperes extitisse;
quemadmodum enim mali dæmonis inui-
dia Iob ad incitas, immò ad finem reda-
ctus est, ita & Prophetas illos Iezabel in
speluncas coëgit se abdere. Esto ita. Sed
non est exigua virtus, paupertatem oblatam
acceptare.

§. III.

*S. Ioannis Baptista maxima paupertatis expe-
rimenta.*

Quamquam nec voluntariæ paupertatis
exempla desint. Et vel solus Ioannes Bapti-
sta

Ita quantum fuit exemplar paupertatis? Si
 vestem aspicias, nec mollem ille induit,
 nec pretiosam: si cibos, non adhibuit ille
 delicatos: si habitationem, inter feras vi-
 tam vixit: *Quid existis videre? hominem mol-* Luc 7. 25
libus vestimentis indutum? Ecce, qui in veste
pretiosa sunt, & delicijs, in domibus regum
sunt. Tria indigitantur, vestes, dapes, ædes;
 quas pauperes & diuites planè oppositas
 habent. Quid de diuite legitur? *Homo qui-* Luc. 16
dam erat dives, qui induebatur purpura & bys- 19.
so, & epulabatur quotidie splendide. Ex pur-
 pura aliqui regem fuisse conijciunt, aut cer-
 tè regulum, vel principem, immo ipsum
 Herodem; Euthymius, ex Hebræorum tra-
 ditionibus Nineusi nominatum autumat.
 Quisquis fuerit, diues certè fuit, cui è dia-
 metro opposita omnia de S. Ioanne Ba-
 ptista recensentur. Non enim ille mollibus
 vestimentis, non purpura indutus incede-
 bat. Etenim *Ioannes habebat vestimentum de* Matth. 3.
pilis camelorū, & Zonam pelliceam circa lum- 4.
bos suos. Non epulabatur quotidie splendi-
 dè, sed *esca eius erat locusta, & mel siluestre.*
 Non habitabat in domibus regum, sed in de-
 serto, & circa Iordanem. Qualis habitus,
 victus, locus Eremitis conuenit, Hæretici,
 oseres

S. Chry-
sost. in
cap. 11.
Matthæi.

osores paupertatis, pietatis, religionis, omnia in Ioanne permutant; & quia horrida, homines elegantes scilicet, abominantur, ex solitudine vrbes fabricant: ex pilis camelorum pretiosam illi vestem contextunt; locustas in marinos cancos vertunt. Quidam enim vestem è pilis camelorum scutulatam undulatamque interpretantur, quali reges olim vsos meminerunt. Nimirum apta pluuijs, apta tempestati, apta solitudini, nedum poenitentiae, erat vestis Damascena. Quis credat, eum urbanas munditias amauisse, qui vrbes ipsas fugit? *nulli se umquam hominũ consuetudine iungens*, ait S. Chryso-
mus, & *continuo solius Dei fruebatur alloqui, non lecto, non tecto, non foro, non alia quapiam humana re vsus est umquam.* Alij itaque paullo intelligentiores, vestem eam è crudis camelorum pellibus fuisse confectam, iuxta communem pauperum illius regionis morem & habitum. Addunt nonnulli, Ioannem non certa religione, sed quadam necessitate id vestimenti genus portauisse. At Euangelistæ, eum habitum, tamquam singularem describunt, vt Ioannis sanctitatem indicent, causamque, ob quam populus ad eum, veluti ad monstrosè vesti-

cum,

tum, videndum, tanto concursu confluit.
 Quod si vestis pellicea fuisset, cur diuina hi-
 storia discrimen faceret, diceretque, vestem
 ex pilis camelorum, zonam autem pelliceam
 fuisse? Innuit enim, vestem pelliceam non
 fuisse. Etsi enim zona minus aspera atque
 horrida fuerit, quam reliqua vestis, tamen
 erat ex cruda & pilosa pelle, qualis etiam
 olim erat Eliæ, in cuius spiritu Ioannes
 Christum præcessit. Fuit ergo Ioannis vesti-
 mentum de pilis camelorum, hoc est, hor-
 ridum & aculeatum cilicium, vt Emissenus,
 & Anselmus docuerunt. Decebat siquidem,
 vt qui poenitentiam prædicabat, poenitentia
 habitu vteretur, quo plurimi, in veteri te-
 stamento vsi leguntur. Et conueniebat
 etiam, vt qui mundum ac pompam eius
 contemneret, à mundi ornatu abhorreret.
 De cibo quoque disceptatur. Scriptura ait:
Esca autem erat locusta, & mel siluestre. Lo-
 custas hæretici *cancros marinos* interpretan-
 tur, quos cum alijs piscibus captos piscato-
 res, ad Iordanis ripas eiecerint; quòd, quia
 in Leuitico, lege immundi dicebantur, eos
 vendere non possent. Itaque ex horum ce-
 rebro, Ioannes, lege contemta, cancos col-
 legit, quibus ipsi libenter vescuntur. Sed
 arabia

4. Reg. 19.
8.

Emissen.
homil. 10
de Io. Bap-
tista.

Anselm.
in c. 3.
Matth.
Gen. 37.

34.
2. Reg. 21.

10.
3. Reg. 21.
27.

4. Reg. 6.
30.

1. Par. 29.
16.

Iudith.
4. 9.

Psal. 34. 13.

Jerem. 4. 8. & 6. 26. & 48. 37. & 43. 3. mirabiles sunt coci, qui ex oculis cancos faciunt. Neque enim *axipides* cancos, sed locustas significant, humile insectorum genus, quod saltando volitat, & volitando saltat, neque est cibus adeo horrendus & inu-

Plin. l. 11. cap. 29. Plutarch. in symp. sitatus, ut ab eo Orientales abstinerint, quamuis vilissimus esset, ut sunt & limaces apud nos, & formicæ apud Indos. Ac sane si locustæ in cibo non fuissent, non eas

Niceph. lib. 1. c. 14. Moyses inter munda animalia, quibus vescebat, numerauisset, Et quamquam Nicephorus putarit, arborum frondiumque summas partes (quod extremæ sint *axipides*) esse putarit: tamen vel etiam hinc paupertas Ioannis eluceret. Talibus enim etiam

Ælian. lib. 13. variar. c. 26. Philosophum Diogenem, ob inopiam, epulatum esse legimus. Nec paupertati obnunciat *mel siluestre*, quo itidem vescebatur, utique in calida & fertili regione, & in terra Palæstinæ lacte & melle manante, passim obuio.

§. IV.

Christi Domini ac Seruatoris paupertas.

Qualis prodromus, talis & Christus. Hinc

D. Augustinus titulum Psalmi 101. qui est:

2. Cor. 8. 9. *Oratio pauperis, de Christo interpretatur. Et recte. Scitis enim gratiam Domini nostri IESU*

Christi

Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues, ut illius inopia vos diuites essetis, tunc scilicet, cum in forma, seu natura, Dei esset, & non rapinam arbitratus est, esse se equalem DEO, sed reuera in gloria erat aequalis Deo, adeoq; Deus, diues in omnes, semetipsum exinanivit, formam serui accipiens. Pauper factus est Christus, inquit D. Gregorius Nazianzenus, ut nos illius paupertate ditescamus: serui formam accepit, ut nos libertatem recipiamus: descendit, ut euehamur: tentatus est, ut vincamus: contentus est, ut nos gloria afficiat: mortuus est, ut seruet: ascendit, ut ad seipsum trahat humi prouolutos in peccati lapsu. Diuitias illius enutmerate nemo potest. Est enim Deus, cuius sunt omnia. Paupertatem refero, quae in utero Matris coepit, nam corpus animatum habuit omnium minimū, sed postea in nato magis apparuit: nam eam à domo, à diuersorio, à lecto, à cibo, à potu, à veste possumus demonstrare. Siquidē Christus rex regum in stabulo natus est, quia non erat ei locus in diuersorio. Pro purpura pannis inuolutus, ijsq; vilibus, pro regali throno habuit praesepium, pro culcitrīs stramē, pro plumis foenum: pro foco, bouis & asini halitum: pro peristromatis, telas

Philip. 2.
6.

S. Greg.
Nazian.
orat. 1. in
Pascha.

Luc. 2.

Z

aranea

Matth. 8.
20.

Matth. 8.
24.

Luc. 8. 2.

aranearum; pro odoramentis excrementis bestiarum, pro equitatu duo iumenta; pro procerum turba, Ioseph & Mariam. Ne ditior factus est, cum adoleuit. Vnde ipse ait: *Vulpes foueas habent, & volucres calidinos; filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Nullus ei lectus, nulla domus erat. Quare & super affere, in nauis dormiuit. Sape etiam non habuisset, quod comederet, nisi supra dictae pie mulieres eum secuta, de facultatibus suis ei ministrauissent. Sic tota deinceps vita pauper fuit, & vltimus Græcus textus, habet *ἐπιτόχειος, mendicanti.* Quin & moriturus bis veste sua, quam habuit vnicam, exutus, atque altera vice etiam spoliatus fuit. Utque fas est credere, sine pileo, sine calceis passim incessit, Crucem passuro nemo poliuit. Clamanti inter maximos cruciatus, nemo aquam, sed acetum, amaram utique potionem porrexit. Sepeliendo lintea aliunde fuerunt suppeditata. Quin & ipsum denique sepulchrum fuit alienum, ut neque viuus haberet, ubi caput reclinaret; neque mortuus, ubi corpus eius tumularetur. Usque adeo non in laboribus tantum sed etiam in paupertate fuit, à iuuentute sua, ad extremum spirituum.

turn. Qua de causa huius paupertatis, quã pro nobis sponte suscepit, meritò gratam à nobis memoriam exigit, per Prophetam: *Recordare, inquit, paupertatis, & transgressionis mea, absinthij & fellis, Paupertatis, quia in ea natus & educatus sum: transgressionis, quia ab Herode in exilium fugatus, ex terra Israël in Ægyptum transgredi debui; quid autem exules sustineant, notum est: absinthij & fellis, quia iste fuit potus meus, non solum in cruce, sed per totam vitam frequenter. A Martha, à Zachæo, à Publicanis & peccatoribus hospitio exceptus; ab ipsa muliere Samaritana haustum aquæ petens refectus est. Harum rerum qui recordabitur; facilè suarum ærumnarum obliuiscetur. Ille enim est Dominus: quid queratur seruus, si paria sustineat? ille est, qui virtutem paupertatis ex cælo attulit, & terris inuexit: quis optet, Deo suo experiri meliora? Hinc tot habuit imitatores, quos virtutum eximios æstimatores.*

Thren. 3.
19.

§. V.

Beatissime Dei Matris paupertas.

Et sanè perfectio consiliorum Christi, debuit à Christo, qui est finis legis, inchoari, ea re autem nihil obstante, sicut gratia plena.

Z 3

plena.

S. Thom.
3. p. q. 28.
a. 4. ad 2.

Lib. I. Re-
uelat. S.
Brigittæ,
c. 10.

Petr. Ca-
nis. lib. 1.
de B. Vir-
gin. c. 4.
In reue-
lat. lib. 5,
Brigittæ
1. c. 10.

plenitudo, ait S. Thomas, perfecte quidem jure
in Christo, & tamen aliqua eius inchoatio pre-
cessit in Matre: ita etiam observatio consilii-
rum, qua per gratiam Dei fit, perfecte quidem
incepit in Christo, sed aliquo modo fuit inchoata
in Virgine matre eius. Quare ipsa Christi
mater S. Brigittæ reuelavit, se paupertatis
votum nuncupasse, ita enim ait: *A principio
voui in corde meo, si esset Deo acceptabile, con-
servare virginitatē, Nihil unquam possideri
mundo.* Itaque paupertas Deiparæ, non est
necessaria rerum inopia, sed ex spontanea
bonorum abdicatione profecta est. Hanc
parentibus didicit, hanc à Filio exactissime
cultam, eius exemplo, perfecit. Parentes
enim illius bona sua trifariam diuidebant;
partem vnam templo, templique ministris;
alteram peregrinis, & pauperibus; tertiam
familie suæ vsibus impendebant. Fuit au-
tem M A R I A non tam pecuniarum, quam
virtutum paternarum hæres. Didicit igitur
à prima ætate voluntariam paupertatem,
vt Petrus Canisius ostendit. Eandem, tota
deinde vita, coluit, vt ipsa, dum breui com-
pendio S. Brigittæ vitam suam recensuit,
his verbis testata est: *Omnia qua habere po-
tui, dedi indigentibus, nihilq̄, nisi tenuem vi-*
ctum.

Etum, & vestitum reseruauit. Quàm tenuis autem fuerit vestitus, ipsa materia, quæ de eo seruatur, perspicuè demonstrat; & docent, qui de sacris eius reliquijs scripserunt. Et alio loco sic cum S. Brigitta loquitur: De diuitijs ego & Ioseph nihil reseruauimus nobis, nisi necessaria vita ad honorem Dei, reliqua dimisimus, propter honorem Dei. Huic eius paupertati testimonium dat Nazarethica domus, vilis & parua; stabulum in quo Christum peperit; panni quibus filium inuoluit: munera magorum, quæ ei obtulerunt: parturiturum, quos ipsa, more pauperum, obtulit: labor manuum, quo se & Filium aluit, Iosepho quoque & Christo adolescente otio locum non dantibus. Quæ confirmat egregiè S. Basilius in hunc modum. Christus prima aetate parentum suorum imperio subiectus fuit, & labores corporis omnes æquò unà cum ipsis animo illis obediens tolerauit. Verisimile est enim, cum homines illi essent & iustitia, & pietatis cultores, tennes tamen, neque necessarijs ad viuendum copijs satis instructi (quod ex præsepio intelligi potest, in quo venerabilis ille fatus est) solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, & hac ratione quotidianum sibi victum queritare. Porro IESVS cum in his, ut di-

Lib. 7.
reuelat:
S. Brigit-
ta. c. 25.

S. Basilius
in Consti-
tutionib.
monasti-
cis c. 5.

una littera predicant, esset subiectus, sine dubio, in perferendis etiam una cum ipsis laboribus morigeram declarabat suam obedientiam. Vidisses sanctissimos tres pauperes labore inter sese certantes, Iosephum ligna secantem & dedolantem; IESVM sarmenta colligentem, & in vnum cumulum comportantem; Mariam scitissimè fila deducentem.

Epiphan.
Presbyt.
in vita B.
Mariæ.

Nam Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus, affirmat eam accuratè perdidicisse artem tractandi lanam, linum, sericum. *Erat inquit, docilis, & amans doctrinam, & non solum in sacris litteris, sed etiam in lana, lino, serico & bysso laborabat. Erat præterea sapientia, & intelligentia super omnes illius seculi adolescentulas cunctis admirationi, quæ & verè consuerit ea, quorum usus in templo erit*

S. Ansel.
in vit.
Deiparz.

sacerdotibus. Idem testatur S. Anselmus. Ex quibus tantò credibilius est, tunicam Christi inconsutilem de super contextam per totum, opus fuisse Deiparæ manibus elaboratum, ut volunt S. Antoninus & Euthymius. Neque obstat eximie Virginis paupertati, quòd aurum à Magis acceperit, & quidem ea copia oblatum, quæ regias manus decebat, ut etiam in sacra historia insinuat. Neque enim ex marsupio, aut parua aliqua

S. Anton.
4. p.
tit. 15.
c. 43. §. 1.
Euthym.
in c. 27.
Matth.

pyxide,

pyxide, vel vase poculo non maiore id de-
 promebant; sed *apertis thesauris*. Grande
 aliquid esse debet, quod thesaurus possit re-
 gius appellari. Quidam, apud Abulensem,
 aiunt B. Dei matrem munera illa, quamvis
 copiosa à Magis oblata delibasse tantum, &
 ex singulis modicum quid acceptasse. Sed
 mihi hic modus minùs videtur conueniens:
 quis enim credat, modestissimam Virginem
 ipsam manus iniecisse in regios thesauros,
 atq; inde hausisse, quantum ipsi, non quan-
 tum regibus videbatur? Acceptavit itaque
 totum, quod Magi Filio obtulerunt, cuius
 sciebat maiestatem nullis muneribus sat di-
 gnè posse honorari, neque mysteria, quæ eis
 significabantur ignoravit: sed illico, quod
 accepit, pauperibus erogavit, ut D. Bona-
 uentura alijq; existimant. S. Antonini ver-
 ba sunt: *Aurum sibi oblatum à Magis non mo-
 dicum, prout decebat eorum regiam maiestatem,
 non sibi reseruaui in posterum, sed (ut dicebat
 deuotus Bernardus) pauperibus per Ioseph di-
 sperfit.* Quid facis, ô Virgo, cur aurum das
 alijs? ipsa pauper es, mox iubeberis exulare;
 in Ægypto quis te alet? itineri aliquid re-
 serua. quis scit quando reuersura sis ad no-
 tos & familiares? Et quid putas, numquam

Abulens.
 in cap. 3.
 Matthe.
 9. 47.

S. Bona-
 uent. cap.
 Medit.
 vit. Chri-
 sti S. An-
 tonin. 4.
 p. tit. 15.
 c. 32. §. 2.

Lib. 1. Re-
uelat. S.
Brigittæ,
c. 19.

ægrotabit tuus Iosephus? numquam esurus
tuus Iesus? mille sunt humanæ vitæ casus
qui pecuniam exigunt, Cur aurum non se-
uas à regibus donatum? Breuis, & grauis
est responsio. *À principio noui in corde meo,
si esset Deo acceptabile, obseruare uirginitatem,
nihil umquam possidere in mundo.*

§. VI.

Apostolorum paupertas.

Matth.
19. 27.

Luc. 14. 33.

S. Thom.
2. 2. q. 88.

art. 4. ad 3.

Ita rex regum, & diuina Sapiencia, ita
Deus & Dei Mater, Regina Angelorum
paupertatem amauerunt. Quid putemus
Apostolos fecisse? quid Martyres, quid
Confessores, quid Eremitas, quid tot san-
ctas Viduas & Virgines? quid Angelicos
adolescentes & adolescentulas? quorum to-
tum studium fuit, vt Christum imitaren-
tur. De Apostolis omnibus loquens veritas
Apostolorum Petrus ait: *Ecce nos reliquimus
omnia, & secuti sumus te.* Neque reliquerunt
omnia dumtaxat, sed reliquerunt etiam ex
voto. *Apostoli, inquit S. Thomas, intelliguntur
uouisse pertinentia ad perfectionis statum,
quando Christum, relictis omnibus, sunt secuti.*
Ex quo loco duo colliguntur. Primum est,
si Apostoli in uouenda paupertate sunt se-
cuti Christum, ergo & ille in eadem pau-
pertate

pertate vouenda præcessit, tamquam per-
 fectionis magister, qui illis specimen & ex-
 emplum dedit. Certè perfecta opum abne-
 gatio ac abrenunciatio, non fit nisi per vo-
 tum, per quod vouens non tantùm præsen-
 tia, sed etiam futura bona, quæ habere po-
 test, liberè à se abdicat. Præterquam, quòd
 fit nobilissimus religionis actus, quo non
 tantùm res & actus, sed etiam voluntas
 ipsa in totum Deo consecratur, ita vt rem,
 nec habere, nec velle possit. Ob quas ra-
 tiones probabilius est, Christum voto se ad
 paupertatem obstrinxisse, vt cum Medina, Francisc.
 Caietano, & alijs docet Suarez & Salme- Suarez 3.
 ron, & ego fusiùs ostendi, in lib. de Imita- p. 9 40.
 tione S. Pauli Apostoli. Alterum est, Apo- disp. 20.
 stolos Euangelicorum consiliorum magis lect. 2.
 exemplo, quàm verbo, magistros extitisse. Salmerò:
 De terra, inquit S. Augustinus, suscitatus est t. 5. tract.
 (Paulus) super omnes diuites pauper, & de illo 4.
 stercore erectus supra omnes populos opulentos August.
 ille inops, vt sedeat cum potentibus populi, qui 1. 1, 7 de
 bus ait: Sedebitis super sedes duodecim, & sedem ciuit. c. 4.
 gloria hereditatis dans eis: Dixérant enim po-
 tentes isti: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti
 sumus te. Hoc votum potentissimi vouerant.
 Sed vnde hoc eis, nisi ab illo, de quo hìc continuo
 dictum

Aluar.
Pelag.
lib. 2. de
planctu
Eccel. c. 9.
Hieron.
Plat. l. 1.
de bono
stat. Re-
lig. c. 20.
Alian.
lib. 7. var.
Plutarch.
in vita
Phocio-
nis, Cic.
lib. de se.
aetur.

dictum est, Dans votum venenti? Videri po-
test Alvarus Pelagius, & Hieronymus Pla-
tus. Admirationem mouit olim Agesilaus
rex Lacedæmoniorum jam senex, quod pe-
sape sine calceis & tunica prodiret in pu-
blicum, cum lacera veste, idque matutino
tempore hiemis; vt scribit Alianus. Et
Phocion Atheniensium dux mirifice extol-
lebat, quod ruri aut militiae nudus semper
& absque calceis incederet, nisi frigus into-
lerabile incidisset; ita vt per iocum etiam
milites intensum gelu significari, amido
Phocione, dicerent, teste Plutarcho. Et
Cicero ait: *Audisse te arbitror, Scipio, hospes
tuus aitius Massinissa qua faciat hodie nona-
ginta annos natus: cum ingressus iter pedibus
sit, in equum omnino non ascendere; cum equo
ex equo non descendere: nullo imbre, nullo frige-
re adduci, vt capite operto sit, summam in eo
esse corporis siccitatem: itaque, exequi omnia re-
gis officia, & munera.* Hi tales, vel ob cor-
poris ita assueti duritiem, vel ob vanum
populi plausum, neque capite, neque pedi-
bus tecti inceserunt; Apostoli id ex manda-
to Christi, ex amore paupertatis factitarunt.
Illis enim dictum est: *Nolite possidere aurum,
neque argentum, neque pecuniam in zonis ve-*

Matth.
10. 9.

stria

stris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Etiam hoc igitur, Christi imitatione, fecerunt. Nonnulli putant, non omne genus calceamenti, sed illos tantum calceos à Domino prohibitos, qui totum pedem tegerent; sandalia autem, quæ soleæ erant, solamq; tegebant plantam, concessa esse. Aliqui existimant, duo paria calceorum, alterum in defectum, sicut *duas tunicas* Christum vetuisse; ne in futurum solliciti essent. Sed mihi prior sententia probabilior videtur; est enim concordia Evangelistarum, & paupertati Apostolorum convenientior. Itaque semitecti incedebant. Qualibus autem vestimentis, quàm vili materia vsi sint, & picturæ, & reliquiæ illorum declarant. Cibos quoque non lautos eis apponebat Christus, qui eis, etiam post resurrectionem, exacto magno piscationis labore, exiguum conuiuium apparauit. *Vt enim descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem.* Denique propriam habitationem nullam habuerunt; sed, instar mendicorum, vbique & nusquam, domi fuerunt; totusque mundus & exilium & patria illis extitit. De S. Pauli paupertate,

S. Augustin. lib. 2. de consensu. Evangel. c. 30.
S. Hieron. in c. 10. Matth.

Ioan. 22

9.

in

S. Anto-
nin. 4. p.
tit. 15. c.
32. §. 2.

1. Cor. 4.
11.

in citato libro multa dixi. Illud hinc addendum est, quod S. Antoninus, in sexto gradu paupertatis, ex Alberto, his verbis indicat: *Sextus, omnia dare, semetipsum relinquere, & ultra hoc laborare manibus, ut tribuat necessitatem patienti, ut fecit Paulus; qui laboravit manibus suis, ut ipse dicit ad Corinthios, ut sibi & socijs subveniret.* Et quamvis manuum labore sibi & alijs victum quaereret; tamen & illud dixit: *Usq; in hanc horã & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cadimus, & instabiles sumus.* Vbi omnia pauperum in commoda recensuit; famem, sitim, nuditatem, despectum, denique & defectum habitationis, ait enim *instabiles sumus, certam sedem non habentes.*

§. VII.

Plurimos in primitiva Ecclesia, sicut & Ananiam, & Sapphiram, se voto paupertatis obstrinxisse.

Act. 2. 42.

Apostolis tempore proximi, erant proximi & virtute. Nam primævi fideles, etiã coniugati, vouebant ut plurimum paupertatem. De ijs enim testatur D. Lucas ita: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, doctrina autem Apostolorum non erat tantum de præceptis, verum etiam de confi-*
lijs

lijſ Euangelicis. Sed longè clariùs id doce-
tur hiſtoria Ananiæ & Sapphiræ. Ananias
enim dicitur *fraudaſſe de pretio agri, conſcia*
uxore ſua. Quæ fraudatio furtum, immò
ſacrilegium rei Deo dicatæ nominatur à SS.
Patribus: quia vel diſertè vouerat, vel cer-
tè profeſſus erat verbis, aut ipſo facto ple-
nam bonorum, & pretij eorum venditorum
abdicationem. Itaque non ſolo mendacio,
aut hypocrifi peccauit, quòd ſcilicet ſimu-
laret ſe dare totum, cum daret partem tan-
tùm. Certè ſi *fraudauit*, fraus non in pro-
pria, ſed aliena re potuit committi, & ſi vo-
tum violauit, neceſſe eſt, cum paupertatem
promiſiſſe. Violaſſe autem votum, diſertè
affirmat S. Auguſtinus inquiens: *Dum ex eo,*
quod promiſerat, partē ſubtraxit, ſacrilegiū
damnatur & fraudis. Sacrilegiū, quòd Deum
in pollicitatione feſellerit, Fraudis, quòd inte-
gris muneribus portionem quamdam putauerit
ſubtrahendā. Potuiſſet licitè vel totum pre-
tium, vel partem eius ſeruare, ſi non vouiſ-
ſet: *nonnè manens tibi manebat,* ait S. Petrus;
nemini igitur iniuriam feciſſet, neque pec-
caſſet fraude lethali, ſed mendacio dumta-
xat veniali; quod morte tam ſubita, publi-
ca, & infami non fuiſſet punitum. *Quare*

hoc

Act. 5. 36

S. Augu-
ſtin. ſerm.
27. de
verb.
Apoſt.

S. Chryl. *hoc fecisti?* inquit S. Chrysoſtomus, *Voluisti*
 hom. 12. *habere? oportebat initio habere, & non promit-*
 in Act. *tere: nunc autem poſtquam conſecraſti; ma-*
 S. Baſil. *ſacrilegium commiſiſti.* Ita Baſilius, Athana-
 ſer. 1. de *ſius, Nazianzenus, Hieronymus, Grego-*
 inſtit. *rius, & alij SS. Patres docuerunt. Ni-*
 Monach. *mana gloria cupiditate, Ananias, quidquid bo-*
 S. Athan. *norum habebat, Deo palam conſecraſſet, ut ho-*
 ſerm. de *minum de ſe opinionem excitaret, ut S. Baſilius*
 Paſſion. *loquitur, vix credibile eſt S. Petrum dictu-*
 & cruce. *rum fuiſſe: Cur tentauit Satanas cor tuum,*
 S. Naz. *mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio*
 in carm. *agri? itemque: Quare poſuiſti in corde tuo*
 de Virgi. *hanc rem? Non es mentitus Deo, ſed hominibus.*
 nit. S. *Nimirum ille dicitur mentiri Deo & Spiritui*
 Hieron. *ſancto, qui id, quod ei promiſſit, & vo-*
 ep. 8. *luit, non ſeruat; non autem, qui in re pro-*
 S. Greg. *pria mendacium ſolum officioſum proferit,*
 l. 1. ep. *nec pernicioſum; quale fuiſſet tantum, ſi*
 33 S. Cy- *Ananias cum vxore votum non emiſſet.*
 prian lib. *Cum itaque Ananias & Sapphira paupertatis*
 3 Teſtim. *voto ſe obligarint, argumentum eſt*
 c. 30. *manifestum, ſtatim, tempore Apoſtolorum,*
plurimos amore paupertatis incenſos
ad eam ſeſe voto obſtrinxiſſe.

§. VIII.

Esſenorum paupertas.

Qua

Qua de caussa Esseni, quos S. Marcus
 Alexandriae instituit, ad instar primorum
 fidelium, quos viderat Ierosolymis à S. Pe-
 tro institutos, paupertatis laude claruerunt,
 de qua re vel Ethnicos audiamus. Plinij ver- Plin. l. 94
 ba accipe: *Gens (Essenorum) sola in toto orbe,* l. 17.
prater cetera mira, sine vlla femina, omni Ve-
nerere abdicata, SINE PECVNIA, sociis
palmarum, in diem ex aequo conuenarum turba
renascitur & c. & ita gens aeterna est, in qua ne-
mo nascitur: tam facunda illis aliorum vita
penitentia est. Adstipulatur Solinus, cuius Solin:
Polyhist.
c. 36.
haec sunt. Interiora Iudaea Esseni tenent, qui
prediti morali disciplina, recesserunt à ritu gen-
tium vniuersarum: maiestatis, ut reor, prouidi-
entia ad hunc morem destinati. Nulla ibi fe-
mina, venere se penitus abdicant; PECVNIAM
NESCIVNT, palmis victitant: nemo ibi parit,
nec tamen deficit hominum multitudo. Locus ipse
addictus pudicitia est, ad quem plurimi lices un-
diq; gentium properant, nullus admittitur, nisi
quem castitatis fides, & innocentiae meritum
prosequatur. Itaq; incredibile dictu, gens aetor-
na est, cessantibus puerperis. Haec Solinus,
qui recte scribit, Essenos castitatem pau-
peritati coniunxisse. Nam pecunijs indigent,
qui vel de prole cogitant, vel de voluptate.
 Esseno

Euseb.
l. 8. Præ-
parat.
Euang.
cap. 4.
Vide
eund.
lib. 9. de
Præpar.
Euang.
c. 1. & 10.
seph. l. 1.
de bell.
cap. 7.

Euseb.
l. 2. Hist.
c. 17.

Essenorum porrò paupertas multis testimo-
nijs est confirmata. Eusebius ex Philone
ita scribit: *Nemo proprium aliquod possidet,
non domos, non pecus, non vas aliquod, sed om-
nibus in medio positis communiter utuntur:
habitant simul, & conuiuunt ut sodales: Cumq[ue]
omnia pro communi utilitate faciunt, alia ali-
orum negotia sunt qua impigrè subeuntes cer-
tant; non frigus, non calorem, non aliquam aëris
mutationem formidantes. Sunt autem eorum
alij agricola, alij pastores, alij apum cultores,
alij aliarum artium magistri. Cumq[ue] à laboribus
suis mercedem ceperint, apud eum deponunt,
qui quaestor creatus est. Is omnia diligenter pro-
curat, quibus egent: egent autem paucissimi,
cùm omnem luxum, tamquam anime & corpo-
ris morbum aspernentur. Et infra de ijsdem.
Quòd virtuti studeant, patet, quia pecuniam
negligunt. Ac rursus. Nullus domum habi-
tat, qua omnium communis non sit: unum ara-
rium, unus sumtus omnibus est: vestis commu-
nis, communis cibus & potus, communis mensa,
omnis vita communis est. Atque alio loco:
Hoc in primis testatur, quòd facultatibus suis
renunciarint, ac bonis ad se pertinentibus cessa-
rint ij, qui Philosophari cœpissent, & cunctis
huius vite curis abstinnerint, &c: Et infra.*

Vinnius

Vinum quidem nemo omnino, ne gustu quidem contingit, sed nec quamlibet carnem, tantum autem aqua est eis poculum, & panis cum sale vel hyssopo cibus. Tales fuere Esseni, nempe primi fideles Hierosolymæ & Alexandria. Qui quò tempore, eò etiam, vt dixi, virtute fuere Christo propiores.

§. IX.

Pauperes esse DEO similes.

Nam, vt scitè Nyssenus dixit: *Christianismus est vita diuina imitatio.* Et Nysseni frater Basilus: *Christianismus quid est? Assimilatio Dei, quatenus eam assequi potest humana fragilitas nature. Votine reuses, te Christianum fore? Ne cunctere Deo fieri similis. Christum indue.* Quæ sanè maxima est commendatio paupertatis, quòd Deo similes efficiat. Quid ita? cum præsertim Deus sit Dominus omnium rerum, omnibus abundet, nec quidquam ei desit; pauperes autem penuria laborent? & ob hanc ipsam causam, vt ex Varrone Tiraquellus aduertit, *diuites, quasi quidam Diui habeantur?* Ita planè vulgus iudicat, cum nemo magis à Diuis distet, quàm *dives* plenus curis, & ærumnis. Pauper autem proximè ad Deum accedit. *Sunt aliqui, inquit Philo, quos*

Aa

(Deus)

S. Greg.
Nysseni
tractat.
S. Basil.
homil.
10. Hex-
æmer.

Tiraquell
cap. 3. de
Nobilit.
2, 22.

(Deus) promouet, & volantes super omnes species, omniaq; genera prope seipsum collocat: sicut Moysi quoque dicit: Tu verò hîc sta mecum. Et paulo post. Quin & cùm in terrenis eo utebatur negotijs, non principis, aut regis communem aliquam virtutem indidit ei: Sed Deum enim constituit. Deum scilicet Pharaonis; in quem ei velut diuinam potestatem dedit; quia diuinam velut vitam vixit. Audi igitur, quo modo voluntate pauperes vitam diuinam imitentur. 1. Quia sanè Deus est diues: at si Bias interrogetur, quis pro diuite, quis pro paupere habendus sit, ita ratiocinatur; apud Aufonium.

Quis diues? qui nil cupit: aut quis pauper? auarus.

Cùm ergo voluntarius pauper nil cupiat, auarus autem plurima, consequens est, aurum pauperem; voluntarium autem pauperem diuitem, adeoq; in hoc Deo similem esse. 2. Quia ideò Deus diues est, quòd sine nostra liberalitate satis ipse habeat, iuxta illud: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quonià bonorum meorum non eges.* Atqui, si Quintiliano credimus, homini paupertatem amanti, *Satis diuitiarum est, nihil amplius velle:* & vt Clemens Alexandrinus ait: *cupido*

Philo. lib.
de sacrificio
Abel
& Cain.

Psal. 13, 1.

piditatum inopia, optima est diuitiarum copia.

3. Tantò quisque propiùs accedit ad similitudinem Dei, quantò sibi ipse magis sufficit, tantò ad vitæ diuinæ imitatione longiùs recedit, quantò minùs ipsi sufficit, pluribusque indiget, qui ei succurrunt. Diuites mundi igitur necesse est, Deo longè esse dissimiliores, & quò ditiores sunt, longiùs à vitæ diuinæ imitatione recedere. Si quidem tantò minùs sibi ipsis sufficiunt. Quod inde intelligi potest, quis maiores Domini, maiorem habent comitatum, plures seruos, plures opifices. Alij sunt eis à consilijs, alij à cubiculis, alij à poculis. Nec jam tantùm indigent sartoribus, sutoribus, mercatoribus, aurificibus, lanionibus, cocis, hortulanis, medicis, pharmacopolis, & sexcentis alijs, talibus; verùm etiam manè, qui eos à somno excitet; qui lumen accendat; qui vestem internam & externam, qui calceos inducat; qui calamistro crines componat; qui eis matulam, qui guttulum, qui mantile porrigat; qui pallium in humeros iniiciat, qui gladium lateri accommodet; qui præcedat, & viam monstret face prælata; qui cibos afferat, carpat, in orbe anteponat; qui calicem crystallinum lauet, impleat, præ-

gustet. Denique aula non capit omnes, qui pro eius mensa, pro cella, pro vestiario, pro ærario, pro archiuo laborant. Nec satis est, ut in custodiam illius centum excubent satellites, decem centuriones; totos debet alere exercitus, ut in regno suo sit tutus. Nondum contentus est, quingenti illi non sufficiunt venatores; canum autem innumera turba à pauperibus alenda; ut vel hinc similis fiat illi diuiti, cuius canes vulnera Lazari linxerunt, ut illius sanguine alerentur, cui herus illorum negauit micas de mensa cadentes. Finis nullus erit, si omnia velim enumerare, quibus diuites necesse est sustentari. His omnibus non indiget pauper. Sine comitatu incedit; nec famulos constituit, nec seruos conducit, nec opifices occupat. Non habet consiliarios, non cubicularios, non pocillatores. Nihil curat sartores, qui cum D. Paulo potest nudus cæli iniurias perferre: nihil sutores, qui assuêrit nudis pedibus irer facere: nihil mercatores, aurifices, Phrygiones, qui munditias vrbanas, qui floridas vestes, qui fulgentes abacos aspernatur. Ipse sibi lanio, ipse cocus, ipse hortulanus, ipse medicus, ipse pharmacopola est. Ipse sibi lumen;

men, ipse focum accendit: ipse tunicas & crepidas induit; ipse sibi barbam, sine speculo tondet; neque indiget manè, qui è lecto ad mensam vocet, inedia eum excitat, inopia contra fures & latrones defensat. Itaque quia illi conuenit cum paupertate, diues est. Quod vult, habet, quia velle, quod satis est, potest. Minimo eget, quia minimum cupit: nihilo eget, si nihilum cupit. Quanta hæc est Dei & pauperis similitudo? Quantum ab hac distat diues, qui plurimis, & maximis eget, plurima & maxima cupit? Testis est Tacitus, Neronè Valerio Messallæ consuli, qui Coruini Oratoris pronepos fuit, obtulisse in singulos annos quingenta sestertia, quibus paupertatem & inopiam sustentaret, hoc est, nostræ pecuniæ duodecim millia & quingenta aureorum, vt Budæus computat. In hac tanta summa Messalla paupertate laborare censebatur; quia existimabat, se egere maiore, quam desiderabat. Is autem, qui paucis potest esse contentus, paucis eget, atque eapropter ditior est quolibet locuplete. Diogere[m] admirari magnopere atque laudare soleo rerum humanarum omnium contemptorem, ait S. Basilus, qui se rege Alexandro ditio[re]m paruo

Tacit.
lib. 1.

Budæus
lib. de
asle.

S. Basil.

hom. 245

contentus ostendit, cum ille procul dubio ad suum statum sustinendum pluribus indigeret. Nobis autem, si non Bithia Misij adsint talenta, & iugera tot terra, pascuq; ac greges innumerabiles, nulla satietas est. Quantum ergo ostendimus nos dissidere à Deo, si tantis ipsi nos factemur indigere?

C A P V T XV.

Amicos, & fratres Christi Domini, hoc est, pauperes voluntarios, etiam posterioribus saeculis, plurimos exiisse.

§. I.

Pauperes esse amicos Christi.

Quoniam autem homo, quantumcumque allaboret à se terrena omnia abdicare, tamen adhuc infinitis, à diuina perfectione, modis distat, semper enim adhuc multis indigebit, idcirco, Deus, cui accedere ad perfectionem nihil poterat, homo factus est, ut imperfectiones quasdam hominis assumeret, atque cibo, potu, veste indigeret, quibus quam moderatissimè utendis, nos frugalitatem edocuit. Quamobrem, teste S. Bonauentura,

S. Fran-